Consignat[illegible] ... [illegible] cultus.

~~Frot. 3063.~~

[illegible] gratii Officium pietatis Patri et Patriarchae Ord. Frat. B. M. V. de monte Carmeli Diviniss. Eliae oratione panegyrica exhibitum.

P
C

In

M
in
Ph
Gr

238

OFFICIUM
PIETATIS
PATRI & PATRIARCHÆ
Ordinis Fratrum B. V. M. de Monte Carmeli
DIVINISSIMO
ELIÆ
ORATIONE PANEGYRICA
Anniversaria suæ festæ diei luce
In Ædibus Celeberrimi Conventus Sacratissimi CORPORIS CHRISTI ad Posaniam,
per
M. IGNATIUM OCZYKOWSKI
in Alma Universitate Cracoviensi AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, Ejusdemque & Scholæ Grammatices in Academia Posnan. Professorem.
Annô Domini 1768.
EXHIBITUM.



Admodùm REVERENDO
ac
Eximio in Christo PATRI

ALBINO

à SANCTO CASIMIRO
Sacræ Theologiæ LECTORI Jubilato
PROVINCIALI ac DEFINITORI Generali.

Admodùm Rdo in Christo PATRI

PRIORI,

Cum sua Venerabili Communitate
Ordinis Fratrum B. V. MARIÆ de Monte Carme li,
Strictioris Observantiæ
Celeberrimi CONVENTUS *ad Posnaniam*
Sacratissimi CORPORIS CHRISTI
PATRONIS ÆSTIMATISSIMIS.

Quanta animum meum perfusum fuisse voluptate recordor, quum Sancti Patris & Patriarchæ ELIÆ factorum memoriam de Cathedra celebraverim, tantâ me affectum esse lætitiâ in præsentia, velim credite, cum hæc omnia,

laudum Ornamenta in Eum congesta, in publicam lucem prodita, Sacerrimo Ordini Nominiq; Vestro nuncupanda ac offerenda steterim, ADMODUM REVERENDI ac EXIMII in CHRISTO PATRES. Deliberatum enim mecũ habueram, non hæc referri posse ad quempiam alterũ, nisi, qui magnam omnibus in rebus rationem dignitatis ducat, nihilq: ab ea sejunctum & alienum cogitet. certũ esse in animo decreveram, non cuipiam alteri laudationem alicujus debere esse, nisi qui ipse laude dignus existat, & honoris gradu teneatur. Et bene: nec enim commodiùs unquam mihi consuluisse posse adverto, modò Vos Viros integerrima Vitæ Sanctitate præditos, præstantiâ probitatis ornatos, omni Virtutũ laude cumulatissimos, in rebus agendis dexteritate & prudentia instructissimos, operæ meæ Fautores habeã, & Speculũ Justitiæ ELIAM DIVINISSIMUM in Vobis apparere velim. Non potest namq accuratius laudandi esse genus, quàm Patris in Filiis, Filiorum in Patre; Filiorum autẽ piissimorum, Filiorum Religiosissimorum; è quorum numero ut venerando prætercam silentio Christianæ Reipublicæ Moderatores & Supremos Arbitros, Vicariam Christi in Terris potestatem gerentes, ut missos faciam

tot Viros Sacræ Vaticanæ Purpuræ splendore conspicuos, ut taceam plurimos Patriarchas, Antistitesq́; Sacrorum, ut non eloquar absq́; numero Doctores & Patres vitæ Sanctimoniâ celeberrimos, pro Veritate Fidei supplicium mortis subeuntes, pro Christi confessione strenuè dimicantes, & summa alacritate, vario læti genere, animas linquentes; Quos Sacratissima VESTRUM genuit Religio: Sufficit mihi fama Tua, quæ non tacitè serpit per Orbem Polonum, quæ percrebrescit per Amplissimam æquè ornatissimam Nomini Sanctissimæ Hostiæ Christi Sacram Provinciam Majoris Poloniæ, PROVINCIALIS DIGNISSIME, cujus meritorum de Ecclesia DEI & Sanctissima Religione nullam partem non modô dicendo, sed ne cogitando quidem assequi possem. Non revoco itaq́; in memoriam Tuum vitæ Religiosæ principium, idem ac virtutis specimen, quod sibi omnes documento sumant, imitatione exprimant; non adduco cæteros, per gradus in Sancta Religione labores, quos diligentissimè subiisti, exactissimè sustulisti, non voco in medium oblatum Tibi in præmium meritorum Munus Prioris Trutoviensis, quod per sex annos præclarè gessisti:

Iſta enim, non modò hæc pagina, verùm & ampliora non commodè poſſent capere folia. præſens ſolùm Officium Supremi Provinciæ totius Arbitri cùm mente prehendo, ſumma omnia in Te video, video ſapientiam & perfectionem omnimodam, ſanctimoniam vitæ, gravitatem morum, ingentem apud Ornatiſſimos Viros Authoritatem, perfectiſſimum in ſuos Imperium honeſtæ benevolentiæ junctum: quæ omnia tantam Tibi collegere gloriam, tantam confecere exiſtimationem, ut non dicendum mihi ſed potiùs mirandum ſit, & ut ad majorem Ordinis decorem Religionis Sanctiſſimæ Ornamentum & præſidium quam diutiſſimè vivas, optandum.

Simulatq; cùm cæterum Sacerrimæ Familiæ Tuæ conſpiciam cœtum, Superûm fidem appello! quanta probitate, pietate, ſapientiâ, conſtantiâ omniq́; virtutis genere intueor Viros. Enim verò ſi percenſerem ſingillatim Admodùm Reverendos in Chriſto Patres CYPRIANUM à S. GERARDO S. T. Lect. JUBILATUM. CLEMENTEM à S. ANDREA CONCIONATOREM JUBILATUM. FLORENTIUM à S. THELESPHORO CONCIONA-

NA-

NATOREM JUBILATUM. THIMOTHEUM à S.CONSTANTINO S.T. Lect. JUBILATUM. Dignissimos Provinciæ DEFINITORES. *Viri sunt Illi, quorum excellentissimæ dotes, Virtutum incrementa omni opinione majora. Si non finerem prædicare* Admodùm Rdum in Christo Patrem LUDOVICUM à S HIACYNTHO Æstimatissimum PROVINCIÆ SECRETARIUM, *Ille est, cujus merita* (a) *cujus labores in Sacra Religione, ampliore pagina notari poscerent. Si non tacerem* Adm Rdum in Christo Patrem BENEDICTUM à S. IGNATIO, PRIOREM Celeberrimi Conventus istius, Venerandissimum. *Ille est in Quo utiq; videtis omnes lumen Animi, ingenii singulares dotes, exemplum pietatis in* DEUM, *amplitudinem meritorum in Religionem.* (b) *in quo præstantem benevolentiam, excellentem humanitatem placidam omnibus affabilitatem observatis. Si referrem* Adm. Rdm in Christo Patrem HENRICUM à S. JOANNE *Vices in regenda ista Clarissima Domo gerentem,*

(a) Priorem egit Conventûs Oborien: Annos 6. (b) Officium Secretarii Provinciæ præclarè gessit.

tem, atq; Adm Rdum in Christo Patrem SIMONEM à S. NORBERTO. *Illi sunt, quibus nihil inesse dicendũ, nisi omni numero perfectissimũ, omniq; parte elaboratum. Si loquerer* Adm. Rdos in Christo PP. PHILIBERTUM à S. MARCO, ANGELUM à S. BENEDICTO, *Sacrarum Litterarum studiô & doctrinâ* EXIMIOS VIROS. *Sunt illi in quibus Sapientia humilitati, Modestia gravitati junctæ, ac aliarum eximiarum dotum multitudo palam eminent. Verbô loquar: si Vestrûm Omnium* Viri Ornatissimi *singularì modô in medium vellem vocare Res sapientissimè, piissimè, religiosissimè gestas, & earum præconia, fallar prorsus necesse puto. Vivite ergo felices longævos in Annos verè cultui DEI augendo Nati, Religioni Sacerrimæ subsidio; Orbi Universo commodo, Famá virtutum & gloriæ Vestræ vivite.*

ita precatur

Sacerrimi Ordinis Vestri

Devinctissimus Cultor

A. O.



SERMO.



NEminem ignorare arbitror AA. quid ſit, quòd ego hunc tam excelsũ, tamq; illuſtrem in conſeſſu Veſtro occupem locum: redire enim ſolet anno vertente illa dies, qua ſolennis ELIÆ DIVINISSIMI, longê lateq; Chriſtianum per Orbem, ſingulariori tamen modo intra lucos Sacerrimorum Filiorum Ejus, magna cum cæremonia & religione celebratur feria: qua, non triſtîs è vita diſcesſûs, aſt felicis cum carne in vitam illam beatam, omni deliciarum genere abundantem, introitûs memoria colitur: qua Ipſi cultus à Nobis Academicis quotannis in iſthac Divi Jagiellonis Domo, honori Sacroſancti Corporis Chriſti dicata, licèt non pro Ipſius dignitate, pro virium tamen Noſtrarum tenuitate, tribuitur, exhibetur. Quidni enim

verò occupare, & faciendi Vobis coram verborũ provinciam vindicare debeam, cum ſama hæc ſeſtæ diei ſuæ non idcirco ſolùm emanârat, ut eſſet perſpectum nobis Ipſum ſanctiſſimè vixiſſe, vitam totam in ſervãdis Mandatis Divinis, & adducendorum ad Dei cognitionem impiorum hominum ardore tranſegiſſe, ac etiam plenũ gratia Illius extitiſſe; verùm, ut nemo reperiretur tantum à mente abeſſe, tanta atrocitate aſtringi ſceleris, qui tam plurimis Virtutum & ſanctimoniæ Ejus teſtibus & documentis evictus, magnificas laudes Illi, Qui Cœlum atq; Terram tuetur, non dicere, Patriarchæ Sancto ad debitum juſtumq; præſtandum honorẽ non prorumpere, veſtigia Illius non velle imitari, opem ad conciliandam Gratiam Divinã non implorare auderet? Ac proinde maximas DEO ferre gratias debemus; quòd tantum elegerit Virum, ex Quo Illi ſinè modo & ſine gloria: ex Quo Univerſæ Curiæ Cæli gaudiũ & exultatio lingva humana enarratu difficilis, ex Quo Nobis in hac lacrymarum valle degentibus tutiſſimum præſidium & ſingulare Patrocinium. Velle etiam Deum O. M. uti Remuneratorem Æquiſſimum honorari ſibi Electos, quis non videt? quis rationis compos non aſſerit? nemo procertò arbitrari aliter poteſt, niſi is ſortè qui omnia in pondere & menſura non adminiſtrari temerè balbutiat, qui Æquitatem Increatæ, Perfectiſſimæ, æquè ac Sapientiſſimæ Naturæ deeſſe profiteatur, qui deniq; nullum Numen Divinum prædicet. Cùm verò Iſtius Servi Dei ſpectemus merita ad ſequenda veſtigia Illius ratio naturalis permovet: ſi enim ſagitta fertur ad præfixum ſcopum, ſi tenues paleæ ſurgentem ad Zephy-

phy-

phyrum jactantur, ſi gravia quævis ſuo pōdere in terram corruunt atq; labuntur, verbo: ſi omnia ſuo potiri deſiderãt appetuntq́, ſine? quomodo intellectu, quô nihil ſublimius & excellentius in rebus, præditi, poſſemus non illuc conſerre mentes Noſtras, conſilia Noſtra, cogitationes omnes, ut pro Cœlitum æmulatione Deum laudemus ut Deũ, Ei ſerviamus, ad Eum judicium & rationem advertamus? Nihil deſacto aliud erit veſtigium & memoria vitæ ELIÆ, quam finis iſtius, ad quem creati ſumus, appetitus: nam, non aliter niſi agendo Juſtitiam hunc Nos finem appetere poſſe, ſpero Veſtrum aſſenſum. Implorandun deniq; opem ELIÆ, idem etenim eſt, Qui fuit ſemper ut ad omnem projectus juſtitiam, ſic paratus ad impetrandum omnibus deſuper favorem, & opem largiendam præſto adeſt, nec hoc ſibi reliqui facit, ut in aſperis nec ad voluntatem Superûm fluentibus rebus, cum manifeſtò teneatur, abſit auxiliô, & earum felicem exitum non efflagitáſſe videatur.

Quamobrem AA. gaudeo vehementerq; lætor me in locum aſſurrexiſſe iſtum, gaudeo inquam uſq; adeò, ut conceptam animo lætitiam Vobis palam teſtari non dubitem, quippe, cui magna offertur dicendi ubertas, magna facultas & facilitas obveniſſe videtur. Nam ſi elevem diligentiùs in ELIAM mentem, idem eſt, ac de omni virtute cogitem, ſi convertam in ELIAM oculos, idem eſt ac innocentiam videam, ſi curam laudationi ELIÆ intendam, idem eſt, ac Juſtitiam laudẽ. Juſtitiam itaq; laudabo, laudans ELIAM DIVINISSIMUM, cum hunc eſſe adverto, qui nihil egit, quod omnium non ornaretur laudibus, quod non omnes Viri

æquiſſimi in ore animiſq; haberent , de quo ſermonē nemo niſi cum admiratione virtutis inſtitueret, quod in una non includeretur Juſtitia. Et cum ita ſit, meritò Juſtitiæ ſpeculum dicendus ELIAS DIVINISSIMUS, in quo relucent univerſa, quæ ad propagandi honorem Divinum requiruntur, quod alterā: In quo videntur hæc omnia, quæ ad felicem reddendum hominem exigi poſſunt, quod alteram orationis conſtituet partem. PATRIARCHA DIVINISSIME hæc erit laudum Tuarum congeries, hæc digeſta ex meritis & laboribus meſſis, iſtud à me tributum, ſuſcipe illud, ſi verò non illud , bonā ſaltim voluntatem habeto , qua nullam magis gratam exiſtimo fore Tibi victimā. Vobis AA. ut melius iſtud Juſtitiæ ſpeculū præſentetur, & pellucidiùs illud videatis, quæſo Vos, ut laxit benevolentia Veſtra, me illud proponentem Veſtro obtutui immotîs aſpicere oculis, & Vos illud non interruptâ velle pupillâ ſpeculari.

JUſtitia eſt, in qua Univerſam laudationis ELIÆ ſtructuram hodie conſtituendam decrevi AA. Juſtitiam inquam in ELIA DIVINISSIMO declarare adverti, quæ, ſi crebriùs inquiſieritis,quid ſit? magnum & ſufficiens quiddam puto fore pro commendatione & gloria Prophetæ Diviniſſimi, imo tantum: ut illi condignè celebrandæ orationem abſq; ſtupore & admiratione non eſſe oportere judicem. Hæc etenim intaminatis fulgere honoribus omnium voce dicitur, ac ejuſdem eſſe excellentiæ , ut illius nomen ſemper abſq; fine ſequatur æſtimatio , omniſq; cultus & laudationum panegyres comitentur. Illa utiq; omnige-

genarum Virtutum præſtamtiſſima nutrix ac omnium præclariſſima, nonne moderatrix rerum , malorū domitrix, bonorum præſidium, injuriarum propulſatrix, verbo: omnis boni theſaurus? nonne illa, qua cæteræ animantur virtutes eſſe cognoſcitur? Hæc eſt Divina præcepta ſervare , ac amore Nominis Ejus cuſtodire mandata. certare pro legibus , juſta præcipere , bene res geſtas præmiare, delicta punire, bonum comune propriô præferre, pericula & mala arcere legibus obedire, commodum alterius pro viribus promovere. quibûs: poteſt ne aliquid laudabilius,aliquid excellentius dari in rebus hamanis? Jdem hæc eſſe probatur ac virtus illa quæ tribuit unicuiq: propriam dignitatem, Deo obedientiam, ſibi Sanctimoniam inimico patientiam, egeno operoſam miſericordiám tribuit. Habitus hæc eſt: ſecundum quem conſtanti et perpetua voluntate jus ſuum unicuiq: datur,vel ut breviorî compleتar compendiô,Speculum,eſt in quo univeſæ repræſentantur Virtutes. Hoc ergo eſt quod magnitudine præſtabile genere ſingulare affirmetis ; oro, hoc eſt, quod ego Vobis in ELIA Dmo à prima vitæ ratione eſſe duxi proponendum.

Ut res melius intelligi poſſit, non dubito, quin ſit neceſſarium animi ſenſum exprimere, quomodo quantave ratione Juſtitiæ ſpeculum dicatur ELIAS; & hinc ſpeculi acceptionem, ejsq: vim neceſſariò exigi animadverto. Hæc itaq: non quid aliud vult ſignificare,ſolùm id, in quo relucent ea,quæ ipſo palam ponuntur, id in quam,in quo videntur ab aliis, quæ repræſentantur ab eo. Cum ergo Speculum Juſtitiæ eſſe ELIAM propoſitum habuerim, talem aliàs, in quo uni-

verſæ relucent virtutes, ſtatim in Eo cæterîs prætermiſſîs, hæc omnia, quæ ad majorem gloriam DEI propagandam, cultumq́, augendum requiri videntur, præſenti argumento videre appropero.

Antequam ad hæc declaranda orationem meam conferam, inveſtiganda eſſe priùs cenſeo, quæ in eo munere pro dignitate elaboranda eſſent, hæc verò non alia futura præſentio, niſi cùm homini Divina quædam virtus eſt & authoritas, vitæ & morum integritas, flagrans augendi honoris Dei deſiderium, æque conatus ut ubivis gentium & Terrarum uni eiq́ vero Numini Divinus præſtetur cultus & veneratio: Enim verò quomodo non aſſentiri poſſemus qui ratione regimur ut cùm DEUS ſit ipſiſſima Juſtitia, ex ea non habeat cultum, eaq́ coli non diſideret? quomodo mentes Noſtras ejusmodi ſubiret cogitatio, ut Ille cujus perfectiſſimum in res omnes imperium æternitate continetur, Qui rectô inſtitutis judiciò ſe ac ſuam pollicitus gratiam daturum, juvamenq; & auxilium in diligentiùs exercenda probitate largiturum, gloriam ſibi ab ea non eſſe & non exigi diceretur? Inſuper cùm certo ſciamus manifeſtoq; rem aliquantulùm priùs auditam habeamus, hocce juſtitiæ nomen, in omnia quæ tantùm mente concipi, intellectu comprehendi & colligi poſſunt, bona infundi, in omnibus, quæ tantùm pro Præpotentis Numinis honore dici vel cogitari queunt, contineri, ſingulis qui magni faciunt laudem Ejus; proprium eſſe, quibusvis quorum animus terrena deſpexit aut deſpicit, cæleſtia verò contemplatur vel deſiderat tribui ſemper. Procerto augetur gloria Dei multùm, ampliatur plurimùm, propagatur

ſuffi-

sufficienter satis ab homine justo, illi namq; non solùm offensa Supremi Numinis procul abesse svevit, sed etiam peccatum summopere à suis cogitationibus refugit. Enimverò extinctâ justitiâ non jam virtutum aliquarum monumenta reperiri posse, sed monstra ex omni vitiorum fece & colluvione concreta videri, ipsam dominari libidinem, ea præmia quæ virtutibus proposita erant, vitiis deferri; Regna, Senatùs, Urbes & pagos acerbissima teterrimorum Tyrannorum oppressione teneri, credendum & affirmandum est. Hinc quæso, considerate Vobiscum, quantam ignominiam, quantum opprobrium pariat Supremæ Majestati opposita Justitiæ iniquitas, cumq; oppositorum eandem esse rationem compertum habeatis, tum certè dicendum restat, ipsius Justitiæ præsidiô atq; subsidiô DEI immortalis gloriam unicè propagari. Justus defactò in utraq; positus fortuna augeri cultum Illius ex animo vellet, ubiq; honorem promoveri curaret, adeò, ut si etiam (quod fieri non posse crediderim) inferorum carceri intercluderetur, & ibi ab eo laudari Deum velle non dubitem. Quanquam enim singulari Numinis Beneficiô Ætas Nostra Tiberios Caligulas, iniquissimos nequaquam habeat Nerones, quorum Nomina propter iniquitatem nec mentionem suam promereri deberent, ni necessitas ad declarandа ea quæ proposui, postulare videretur, prodest tamen scire, quomodo sub Illis Viri Justi vixerint, qua ratione vitia eorum tulerint aut castigaverint, ut neq; intempestiva libertate utentes vitam suam in periculum abjecerint, neq; fæda ac probrosa laudantes placere sibi ullam turpitudinem ostenderint, ut martyrium milleni

subie-

subierint, testamentumq; fidei sangvine confirmarint? ex quibus, quantum gloriæ, quantum honoris sit DEO, O. M, quis est tam imperitus rerū, tam sceleratus, qui intelligere unquam posset ac vellet? Fixum destinatumq, paulo ante esse volui ad laudem Divinam multiplicandam alterum, innocentiam tueri, alterum immanem nefarii patrandi sceleris atrocitatem revereri, alterum omni virium conatu velle ut Divinum Nomen condignis laudationum vocibûs ornetur, efferatur, atq; hæc esse ab Arbitrio vestro probationem assensumq; fore mihi confido, non enim quenquam esse intelligo, qui ea justitiæ nomine non appellet, non verò tantùm nomine, sed re ipsa justitiam esse inficiatur. Sapientia utpote Vestra, illud quod ego vel brevitati studens, vel ob angustias temporis aut dimidiô tantùm dixero, aut solùm innuero, aut etiam prætermisero, sagacissima cogitatione persentire & intelligere utinam velit.

Nunc tandem temporis ratione spectata, ad statum rei nostræ redeundum. Compertum habemus quo modo propagari possit Cultus Divinus, & procurari tantum, ût neq; magis à quopiam possit. Fecit ne etiam ELIAS ita? gessit ne ita, ut in Eo universa ea quæ ad cultum Divinum augendum requiri videntur, reperiantur & reluceant? Ab omni memoria noluit ELIAS (date fidem) ut honoris Divini causâ non libenter & celeriter id efficeret quod suscepit atq; advertit velle DEUM; Fecit omnino ita, hoc tantùm operatus est, quod esset ad Justitiam, id modò desideravit, quô innocentia tuta permaneret, istud appetiit, quod omnibus ad vitam rectè ducendam præscivit necessa-

cessa-

ceſſarium, tale enixis anhelabat votîs, quod Gloriam allaturum eſſet in Excelſis DEO: Certè Speculum eſt! Contendite modò in eo videre quæ videnda neceſſe eſſe ratio rei præſentis exigit. Videte an non omni tempore vixit ad Juſtitiam? dum ortus de Aaron Tribu ſemper vero Numini ſacra ac fideliſſima, & quæ quouſq; à vivis non defuerit ad ſacrificium hoſtias Illi præbere meruit, adeò, ut non alterius generationis quiſpiam præſtare id poſſet; hanc cum vita accepiſſe, ſupponitur, in exercendaq; indies magis ac magis omnimodam curam habuiſſe; certò affirmatur, cùm Viris æquiſſimis tantùm converſatum fuiſſe, compertum habetur; quod cùm velut delphicum Oraculum eſſe dicatur? Juſtum ELIAM DIVINISSIMUM appellandum ſtatim putetis; nam, neutiquam iniquo homini placere converſationem cum beatis credendum eſt.

Pono rem iſtam in medio Veſtrum AA. Voſq; dicite mihi, oro, quomodo ſentiatis, quam rationem aſſignetis impuliſſe ELIAM DIVINISSIMUM ad vitam agendam in deſerto, in loco à communione hominum remoto? at meritò Vos jam aſſentiri animadvero, nihil præterquam Juſtitiam aliud, nam eò propter ſervandam perrexit innocentiam, ibi umbram tantùm hominis habuit, & quotidianis jejuniis emaceratum corpus velut ex àëre formatum, aut aura cœleſti paſtum videbatur. In illa vita Angelica in illa contemplatione rerum cæleſtium, ſummopere dolens offenſam DEI, unicæ ſolùm orationi vacabat, id tantùm ardenti ſpiritu exigebat, ut cæli & terræ Creator, omnia nutu regens, aliis gratiam ſufficientem, ùt peccatum caverent, aliis ut ab eo reſipiſcerent, concederet. Cùm

verò penitus cognoverit, & compertum habuerit pertinaciæ studiô in statu nefando existere, ac depellere de suscepta voluntate nolle impiorum hominum genus, cui nil veri, nihil sancti, nullus DEI metus, nulla religio; voluit illud affici supplicio, desideravit illud puniri in tempore ne æternum inferorum pænæ addiceretur, animarumq; suarū detrimentum caperet. Quid hinc infertis Vobis AA? Ardentissimum honoris Divini desiderium inferendum; cúm non tantùm non offendi DEUM conatus ēst, sed ut conversi laudarent Eum & prædicarent, ne ab Ejus visione amoti, scelesta lingva Eum lacesserent, cupiditate flagravit. Advertens autem totam jam cum Principibus suis Samariam ad Cælos versus conspirasse impudentiùs ,; nequaquam ab improba peccandi consvetudine resipuisse, nec ad curam sempiternæ salutis se se revocasse, nec à vitæ pravitate à cultuq; dæmonis abduxisse animos; & recognoscens, parum esse ad Justitiam, dolere tantùm Divinam injuriam, & non vindicare eandem ex virium facultate, irrumpit impetu in Achabum Regem, & sinè respectu Majestatis exprobrat crimen & vitia, reprehendit & exagitat scelus, verbîs vehementioribûs increpat, defectum à fide & religione acerbè castigat, & ut desertorem Veri Numinis execratur. Expertus demum vanam esse nihilq; objurgationem valere, conversus est ad suppliciorum variorum flagella, ut hîs admonentibûs, Illi falsorum Numinum Cultores ad veri DEI præceptorum observantiam reducerentur. O amorem honoris DEI ! O Justitiam! fateamini, AA. Vidit enim omnia sacra conculcari, eamq; venerationem quæ vero DEO deberetur, in fictas commentitiorum Deorum imagines Baal & Belzebub impiè trans-

transferri; cælestium rerum contemptum, & maximam quæ Divinæ Majestati irrogari poterat, esse contumeliam vidit, vidit cum neglectu & contemptu Veri Numinis conjunctam pariter esse perditionem Animarum. O ELIAM DIVINISSIMUM! quomodo appellandum putem? nescio, Dicam ne Apostolum? dicam; cùm studium honoris & gloriæ DEI perpendam diligentiùs. dicam Patrem & Patriarcham, cùm Sacerrimos conspiciam Filios. dicam Prophetam, cùm ad certissimam futurorum prædicationem aspectum referam. appellabo Martyrem, cùm victum cultumq; asperiorem & flagrans mori pro DEO desiderium fuisse indies, notum habeam. vocabo Virginem, cum integerrimam vitæ sanctitatem observem mente & animo. O ELIAM! iterum atq; iterum dico, Justitiæ speculum.

Verùm pauca sunt quæ dixi, majora dicenda supersunt pro evidentia propositæ rei, sed interim, quid Vos ad hæc? AA. nonne jam videtis universa in Eo quæ spectant ad gloriam DEI augendam? Parumne cum illi, illi Divinioris doctrinæ expertes quorum Animi errorum tenebris obvoluti, ea quæ Divinitùs affulsit æternæ veritatis luce carentes, & carere desiderantes, cultui falsorum dediti, Baal & Belzebub Deos venerantes, semper arguebantur ab ELIA sceleris, & avertebantur ab errore pristinisq; studiis? Parumne cùm rorem cælestem & pluviam illis interdixerit, ut faciliùs ad cognitionem Veri Numinis cultumq; Religionis desertores illius flecteret, cùm supra naturæ vim & ordinem multa & miranda opera effecerit? ex quibus tanquam Divina virtute patratis, etiamsi verum

ignoraſſent Deum, ad cognitionem Ejus devenire potuiſſent, quæ, nec proferri in medium oportere cenſeo, quòd ſingulis Veſtrum nota eſſe exiſtimem. Parumne cùm Ochoziæ Regi Filio Achabi præter Paternos, etiam Deo Accaron præcipuum cultum præſtanti, per Sectæ ſuæ interpretes legationem ad eundem Accaron obeuntes, (ut malæ valetudini Regiæ vel gratiam ſanitatis vel incolumitatis auguria reportarent,) minas jactare, terrores & pericula vehementer denunciare, metum inferre, non deſtitit? ablegatam verò pro ſe inflatam nec ferendam quinquagenariam Militum turbam iteratis vicibûs conſumi igne de cælo fecit? Cum expedita tandem iterum atq; iterum ſimili pariq; numero cohorte adfuit & Ipſe reſipiſcentiam ſperans per duplicata miracula tanta, verùm nullam veræ Religioni deditionem videns, hæc verba plena ardoris laudandi DEI unius, plena Juſtitiæ locutus eſt ei; *Hæc dicit Dominus, quia miſiſti Nuntios ad conſulendum Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideo de lectulo ſuper quod aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* ¡At, quid ego iſta profero, Nonne ſufficiet ad Juſtitiam quòd Spiritum DEI in prædicendis futuris contingentibus habuiſſet? Nonne Juſtum eſſe dicetis, qui locum illum, locum celeſtem in terris, de quo Protoparentes Noſtri propter delictum expulſi, occupare & poſſidere dignus inventus eſt? Verè Juſtitiæ ſpeculum ELIAS!

Nunc comprobaſſe videor; Juſtũ ELIAM fuiſſe, dixiſſe opinor; innocentiã ſervaſſe, offenſã Dei omnibus vitaſſe viribûs; pronuntiaſſe exiſtimo, protuliſſe deniq; ſummopere conatum fuiſſe ut DEUS laudetur, recordor. Reſtat

pro-

proinde dicendum Speculum Justitiæ ELIAM esse, in quo videntur ea, quibus gloria DEI propagari potest. Patet ne jam & habet id assensum Vestrum? habeat oro Vos, pervasosq; simul esse volo, si aliquam adhuc augendi Cultus Divini inveneritis rationem, illam me in ELIA ostensurum esse. Alteram verò Orationis aggressuri partem, intelligetis & ex consequenti meliorem evidentiam Antecedentis, & ex Antecedente consequens aliquantùm patebit.

Mandatum memoriæ Vestræ esse arbitror, quod dicendum altera Orationis Parte constituerim, hæc nempe omnia in ELIA videri, quæ ad felicem reddendum hominem exigi possunt. Quid autem felicem hominem reddere possit, dum perpendo diligentius: aliud esse id quod felicem facit hominem, aliud quo felix efficitur homo, animadverto, utrumq; tamen ad felicitatem perfectam desiderari censeo, & primum in virtutis operatione existere, alterum in ipso DEO à Quo omnis pendet felicitas, seu visione Ejus, videtur certò certiùs. Verùm de altera non dicendum censui, cùm hæc omnino ut in præmium consequatur primam, necesse est; Cum autem saltim imperfecta ab ea proveniat, quæ consistit in cognoscendo, amando, & pro suo modulo imitando Optimo Illo mundi Principe, de hac aliquid dicendum constitui, & affirmandum duxi, ab ea felicem in hac vita posse fieri hominem. Ecquis enim non dicat, illum felicem appellari debere & esse, qui Creatorem suum & Factorem omnium rerum in sublinari existentium cognoscere desideraret? si verò cognoscere desideraret? amare vellet, (non aliter enim nisi amore Illum cognoscere posse

Viri ſapientiſſimi dicite) ſi deniq; cognoſcere deſideraret & amare vellet? quomodo ad ſequenda veſtigia Illius non incenderetur pro modulo ſuo.

Alterum eſt reddens hominem felicem virtus, hanc verò inde felicem reddere hcminem à vobis intelligi volo, quòd illa duce aſſequi poſſimus hoc, quo felices efficeremur. Etenim quo alio præterquam hancce virtutem effici felices poſſemus, nequaquam inveniri poteſt, nequaquam eſſe, Vos & omnis rectè ſentiens affirmabitis. Non inquam habemus quidpiam tale, quo redderemur beati præter virtutem, cùm nihil ſit aliud, quod Nos ad illud, quo felices dici meremur, ducat; niſi unica virtus. Non Nos opes non honores non alia fortunæ munera beare poſſunt, cùm beatitudinem nullam omnino habere cognoſcantur, ſi verò non habere cognoſcuntur? quomodo Nobis id largirentur, quo ipſa ſunt deſtituta? Enimverò ſi opes reſpexerimus & divitias illæ ſunt, quas utiq; conſequitur cura ſervandi, ſitis augendi, timor amittendi, illæ ſunt, quæ ſegnitiei fomenta, litium rixarumq; incentiva, malorum irritamenta dicuntur, illæ ſunt, quæ virtutum ſemen ſuffocant, & quæ à Chriſto Veritate Æterna ſpinis comparantur. Si honorem recogitaverimus, ille eſt, qui nunquam ſtabilis ſed inanis, & ex opinione hominum pendens, qui cum labore poſſidetur, cum invidia conſpicitur, qui eos quos exornat, onerat & premit abſq; dubio, is deniq, eſt quo poſeſſo nemo poteſt carere dolore. Quomodo ergo felicitas appelletur? Neq; etiam alia fortunæ munera, (credite mihi) Nos felices reddere poſſunt, millena namq; documenta adferrem, ſi opinarer aliquem Veſtrum huic non aſſen-

ſurum

ſurum eſſe, virtutemq́; tantùm exiſtere qua felices efficimur, non dicturum.

Hæc vix ore loquor, illicò ſubit mentem & animum meum lætitia, & ut perpendo non vana certè. Equidem conſtat Vobis demonſtrâſſe me prima Orationis Parte in ELIA Juſtitiam, nunc cùm in virtute res eſſe viſa; quanta facilitas, quantum commodum! (Superi mihi illud omnino proſpexiſſe debuerant) quantum inquam commodum in dicendo & continuanda dictione mea ſum nactus! dimidium enim jam dictionis pro declaranda veritate iſta, quam Parte hac probandam duxi, dixiſſe dicatis, Vos ſaltim firma retinentes memoria, quòd Juſtitiam idem eſſe ac omniũ virtuti Sedem affirmaverim. Conijcite nunc oculos, conijcite non iſtos jam pietatis & reverentiæ Sanctis debitæ plenos, ſed illos acutiſſimos veritatis Indagatores, in PARTRIARCHAM Diviniſſimum, & non dubito quin eſſe in Eo obſervetis hæc, quæ ad felicem reddendum hominem valent, virtutem omnem videte, videte amorem DEI, qui nec verbis exprimi poteſt, imitationem Chriſti Domini & veſtigia vitæ Ejus in ELIA videte. Eſt dafacto quod videri poſſit, quod mirari oporteret in Speculo iſto; Lectio enim in eo vitæ ſanctè peractæ viſioq́ rerum geſtarum conferret plurimùm, eſſet ſatis uſq́; ad ſensûs oblectamentum opus clementiæ & miſerationis mulieri viduæ factum.

Verùm enim vero ponamus in medio Speculum iſtud, inſpiciantq́; illud Fidei veræ Cultores gloriam Uni Illiq́; Vero tribuentes DEO, ſiſtant tandem Deſertores ejus, ſiſtant Reges illi, quibus coram ſepiſſimè ſe ſe exponebat antea, & in ſe illis felicitatem videri vole-

volebat. videant, ùt ELIAS DIVINISSIMUS Viduæ Filium, à mortuis ſuſcitat, modumq; porrigit vincendi mortem, ùt frangit portam inferi vi & robore vitæ ſuæ ſanctæ ſolitariæ, ut futurî ad vitam reditûs dat praxi ſpecimen, ut primus Ille omnibus immortalem animam eſſe oſtendit & aſſerit: Quibûs non ne omnes incendi potuiſſent ad amandum DEUM & operandam virtutem, quo ſibi felicitatem accerſerent? non ne jam hæc vident, quæ ad illos felices faciendos valerent? Vos Viri Ornatiſſimi, quò hæc majora videntur, eò meliore animo Orationem meam audire convenit, neq; quàm variè & humiliter dicatur, attendere, ſed omnia ſua Magnitudine metiri non Verborum magnificentia & ornatu. An non magnum & evidens felicitatis indicium fuerat ELIAS DIVINISSIMUS, cùm propoſuerit bovem immolandum eſſe, alterumq; Vero Numini per Se, alterum fictæ Baal imagini per ſuos Pontifices ſacrificandum: & cujus abſq; ullo ignis fomite cremaretur, ab eo omnes erga ſuum Numen inflammandos. Magna forſitan loquor Vobis? rapimini in admirationem? meritò; incredibile quid videtur? expectate & ſpectate exitum rei. Præeunt Pontifices Baal ad mactandum bovem, fatigant eum precibus, ut eorum faveat conatibus; Attendite diligentiùs, movetur ne eorum precibus, flectitur ne lacrymis? nequaquam; quia nequaquam poteſt. Præſtolatur ſaniorem ſenſum eorum ELIAS DIVINISSIMUS, deſiderans ut poſthabito errore gentili, fidem quæ eſt unica, amplecterentur conſtanter. Cùm verò neutiquam effectum videre ſe poſſe advertit, accedit celeriùs ad ſuam victimam, illâq; ter aquîs perfuſâ

vix

vix tetigit Cælos ſuſpiriîs, illico tantum excitavit ignem, ut tota candida inflammaretur exnunc. Stupendum prodigium! quis illud non dicat felices omnes facere potuiſſe, manifeſtando Verum DEUM, manifeſtando Omnipotentiam Ejus, patefaciendo tantam virtutem ELIÆ DIVINISSIMI. Nam ſi has non ſuſtinuiſſet Partes ELIAS Dmus, potuiſſet Univerſus populus in communi errore periiſſe, ſicq; æternùm infelicitatis particeps extitiſſe. Præterea AA, compertum Vobis omnia Opera ELIÆ ad Cultum Veri DEI directa & ordinata fuiſſe, ſin autem ita omnia agerentur ab omnibus, ſi hoc ſingulariter appeterent ſinguli, quàm felices dicere oporteret! Verùm non vagabitur Oratio mea longiùs, prætermitto cætera, quæ ſunt & infinita & maxima ad patefaciendam mentem meam. Multa alii Superioribus dixere Annîs, multa Vos audiſtis prædicari, multa fortaſſe legiſtis aliquando, quæ Viri doctrinâ præſtantes diligenter & accuratè conſcripta expoſuere luci publicæ, quæ omnia cùm animo & memoria repetieritis, non dubito quin ſtatuatis ELIAM Juſtitiæ eſſe ſpeculum, in Quo videntur univerſa, quæ honori Divino promovendo magis magiſq; debentur, in Quo relucent omnia, quæ hominem felicem facerent, quod ego pro proſſe pobaſſe videor.

Et cùm jam Sanctum Patrem omnia perfectiſſimè egiſſe dixiſtis, jam jam mecum finem dictioni ponente & Sacerrimos Filios Ejus idipſum præſtare, affirmate. Illi enim ſunt; illi trecenti Viri cingulô ſanctitatis præcincti in Monte reſidentes CARMELI, quos ELIAS ad veræ fidei defenſionem habuerat, & quos propagandi Cultus Divini atq; faciendi felices Univer-

ſos viventes, inſtruxerat. Vel ne non omnia ad Ejus gloriam majorem præſtare viſunrur? vel ne omnem curam, induſtriam omnem, cogitationes omnes, his, quibùs bono ſalutis æternæ providerent, non impendunt? Si certus eſſem non mihi Eos id vitio & vanitati verſuros eſſe, erumperet de ore meo vox illa qua non tacere vellem illa Sapientiæ oracula, quibûs Primum Orbis & Urbis Caput Roma repletum, quibûs Florentiſſima Regna æque Noſtrum Polonum excellere, quis non videt? Verùm commodiùs eſt atq liberiùs ſingulis Veſtrûm ea cogitare, quam mihi dicere.

Ad Te tandem o ELIA DIVINISSIME feſtinat Oratio mea. Te vehementer obſecratur, Suſcipe Cauſam Noſtram, pone Nos in gratia apud Eum, pro Cujus gloria promovenda, & Apoſtolica dignitate, & Spiritus Prophetici excellentia, & Patriarchæ laurea, & Virgineo nitore, inſignis extitiſti, deprecare ab Eo hoc unicum, ut Nos, Te imitantes, omnes cogitationes, omnia conſilia, omnia opera, ad promovendam laudem Ejus peragamus, ut ad Eum tanquam ad finem ultimum Nosmet ipsos ſemper & ubiq; referamus: ſicq; magis augere Cultum Ejus videberis. Impetra Regno Noſtro cum Proceribus ſuis, exora omnibus iſtis qui Tuum Patrocinium expoſcere viſi, require ſingulis, quos frequèntes ad Tuas audiendas ſades conveniſſe vides, efflagita his qui pro poſſe Virium ſuarum in loco iſto quotannis ſe ſiſtunt, hoc, quo felices atq; beati efficerentur: Sicq; Univerſos velle fieri felices, diceris, & Talis qualem Te eſſe aſſerui una omnium voce appellaberis.

D I X I.